



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Quo pacto S. Thomas, & alij Scholastici incomprehensibilitatem Dei
explicent. c. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

Modus ex-
plicandi Dei
incompre-
hensibilita-
tem.
Victoria.

munem, & postremo loco nostram subijciemus.

Primus modus sit quorundam Theologorum nostri temporis, (quem fuisse quoque Francisci Victorie testantur ipsi) asserendum ideo non comprehendere Deum à beatissimis, etiam si clare ipsum videant: quia licet Beatus clare intueatur essentiam Dei & personas omniaque ipsius attributa; non tamen videt eam secundum omnem intentionis gradum: quo circa aliquid Dei latet ipsum, nec omnem gradum perfectionis eius numerare potest: quod si hæc omnia cognosceret procul dubio (inquunt) Deum comprehenderet. Ex qua doctrina duo alia inferunt: vnum est, quo plus beatus aliquis penetrat videndo essentiam Dei, & gradus perfectionis, eo plures videt in eo creaturas: alterum est, quia nulla potest esse infinita visio Dei creata, non potest quis infinitam intentionem attributorum, neque infinitas in Deo creaturas videre.

Omnino est
improbabilis.

Hæc sententia, omnium quidem iudicio, nihil habet probabilis: ex ea enim duo absurda sequuntur: alterum est, non solum miraculose, sed vi etiam ordinaria, & communi, posse videri essentiam Dei, non visis personis: imo vnum attributum sine alio. Nam si in eodem attributo latet aliquid, & aliquid videtur, multo magis, visa essentia, latere potest persona, & viso vno attributo non videri aliud. Neque enim minus differt vnum attributum ab alio, aut persona ab essentia, quam vnus gradus eiusdem attributi ab alio, si fas est gradus intentionis in diuinis attributis excogitare: at neque Scotus concedit, sine miraculo posse essentiam videri sine personis, vt disp. 40. vidimus: ergo nullus concedit, sine miraculo videri posse vnum gradum attributi sine alio. Quocirca dicere debemus, de facto attributa secundum omnem intentionem plene à beatissimis videri: frustra enim dicemus miraculum fieri, ne à beatissimis Deus comprehenderetur. Porro sicut disp. illa 40. probatum est, non posse nec de potentia absoluta Dei videri essentiam sine personis, propter summam eius identitatem cum illis, & qualibet illarum, atque eadem ratione nec vnum attributum sine alio, ob eandem etiam dicendum est, non posse aliquid vnius attributi latere, si aliquid illius videatur.

Secundum
absurdum.

Alterum, quod sequitur, est, Deum non videri, si aliquid ipsius latet, Deus enim est tota sapientia, non aliquid illius, vt vbi non est tota sapientia, non est Deus, ergo si non tota videtur, non videtur Deus. Quare vero qui plus videt Deum, plures creaturas in Deo videt, in nostra sententia nihil habet difficultatis: cum enim dicamus, ex vi visionis essentiae nihil creatum cognosci, sed peculiari reuelatione, hoc etiam pacto dicendum est, plures in Deo creaturas cognosci. Quod si ex vi visionis essentiae viderentur, saltem hac via tutum non esset, sententiam illam defendere. Quamuis autem alia vitæ difficultate non careant; ex illis tamen non sequuntur manifesta absurda contra fidem, sicut ex hac: quare nec hac ratione incomprehensibilitas Dei explicari, & defendi debet.

CAP. V. II.

Quo pacto S. Thomas & alij Scholastici incomprehensibilitatem Dei explicant.

S. Thom.

Alij Scholastici inferius allegandi cum S. Th. in art. 7. huius questionis difficultatem hanc

alia ratione explicare conantur. Dicunt itaque hoc modo, vt res aliqua comprehendatur, non satis est videre quicquid in ea est; sed etiam omni modo, quo ex se postulat cognosci, hac enim ratione solum cognitio potest esse adæquata obiecto cognito, ac proinde ipsum intra se comprehendere. Non dicunt, rem esse cognoscendam meliori modo, quo potest: sic enim formica ab Angelo inferiori non comprehenderetur, cum meliori modo posset à Deo, & ab aliquo Angelo superiori cognosci, sed necessarium esse rem cognosci tam perfecta cognitione, quam ipsa ex se postulat, hoc est, vt cognitio in se sit tantæ perfectionis in genere cognitionis, quantæ est obiectum in genere cognoscibilis: quare cum Deus ex se infinitus sit, ideoque postulet infinite cognosci nulla cognitio erit ipsi adæquata, nisi infinita sit, qualis est ea, quam Deus de seipso habet; ergo hac solum comprehenditur.

Ratio hæc (vt dixi) est S. Thom. in hoc art. 7. & fere omnium Thomistarum; eam videtur sequutus Bonaventura in 3. d. 1. art. 1. q. 2. aperte tamen Richardus art. 1. q. 4. Scotus q. 1. §. Ad primum argumentum, in solutione secunda probationis argumenti 1. Durandus, q. 1. n. 10. Maior in 4. q. 15. Scotus q. 3. a. 1. Quocirca in horum Doctorem sententia vt Deus ab intellectu creato visus comprehenderetur non satis esset visio infinita secundum intentionem, hæc n. adhuc non esset infinitati Dei adæquata, ac proinde sola ipsa cognitio Dei, quæ est infinita secundum esse, sicut ipsamet essentia, comprehensio illius dicitur. Hanc vero rationem colligunt primum ex verbis Augustini 12. de ciuitate c. 18. Quidquid scientia (inquirit) comprehenditur scientis comprehensione finitur. Ergo cum Deus non possit creata aliqua cognitione finiri, quia nulla cognitio se potest ei adæquare sequitur, nulla creata visione posse comprehendere. Deinde probari posset testimonio Greg. lib. 18. moral. cap. 28. circa finem cuius verba recitauimus supra disp. præced. cap. 2.

Quod si incomprehensibilitas hoc modo usurparetur, de fide plane esset, Deum à beatissimis posse comprehendere. Ceterum vt fatear mei ingenij tarditatem, hic modus explicandi incomprehensibilitatem Dei difficilis mihi videtur, dum definitionem traditam ab Augustino considero. Comprehendere enim rem aliquam, omnibus in locis vbi ab Aug. & alijs Patribus definitur, vt vidimus c. 1. disp. præced. nihil aliud est, quam totum quod est in re aliqua ita cognitione complecti, vt nihil illius vere lateat, sed appareat, sicuti est, nam quoties res non cognoscitur proprio, & (vt aiunt) intuitiuo conceptu, semper latet aliquid illius, imo id, quod est, non videtur.

Hæc vero definitio optime probatur ex comprehensione corporea, vnde ad spiritualia nomen *Comprehensio* translatum est, inter corpora enim vnum alio comprehenditur, quando latera superficiem conuexam vnus intra latera concaua alterius continentur; & hac ratione contentum continenti finitur, & ambo inuicem aquantur, quare quoties visus sphaera intra manum, vel intra aliam ita continetur, vt nihil illius non contineatur, comprehenditur ab ea dicitur. Perinde autem comparatur spiritualiter representatio cognitionis cum re cognita, sicut superficies concaua corporis continentis cum conuexa contenti; ergo sicut superficies continens secundum extensionem aquantur

vt res com-
prehendatur,
non debet
eius finis me-
iori modo,
quo possit.

S. Thom.
Bonauent.
Richardus
Durandus
Maior.
Scotus.

Ratio ex
Augustino.

Quid sit in
hac opinione
difficile.

Quia sit ra-
tio com-
prehensionis,
& unde sum-
atur.

quatur superficiei contenta, quoties tota intra illam corporaliter continetur: sic etiam cognitio adaequari dicitur rei cognita, & intra finem, & quasi concavitatem suam, illam continere, quoties tota res representatur & cognoscitur. Sinus enim & capacitas cognitionis, qua obiectum dicitur contineri, est ipsa representatio: tunc igitur finitur res cognita cognitione, quando nihil non illius cognitione representatur, neque enim alia quantitas spiritalis, aut extensio in cognitione excogitari potest, ratione cuius dicatur cognitio obiectum finiri, aut completi, quam representatio: neque in re cognita aliquid aliud est, quam entitas, quae cognoscitur, atque in hoc tantum adaequatio vniuersae consideranda est, ut res ipsa dicatur comprehendi, non autem in vniuersae perfectione essentiali. Sicut enim, ut vnum corpus aliud comprehendat corporea comprehensione, parum refert esse eiusdem naturae, & perfectionis; aurienim sphaera optime a ferrea comprehendi potest; sed opus tantum est, ut quantitas conuexa quantitati concava adaequatur, ut intra illam tota esse dicatur: ita etiam, ut obiectum intelligibile intellectione comprehendatur, non est opus ipsam intellectiōnem eiusdem esse perfectionis secundum esse, cuius est ipsum intelligibile, sed oportet, & satis est, si representatio illius ita late pateat, ut intra se quicquid in ea re representari potest, distinet, & sicuti est, contineatur: tunc autem etiam si obiectum sit infinitum secundum esse, & cognitio secundum esse finita; representatio tamen quoad extensionem infinita esse dicitur: & intra ipsam obiectum etiam in finitum finiri. Atque hoc solum docere voluit Augustinus 12. illo de ciuitate cap. 18. cum ait: id quod sententia comprehenditur, scientis comprehensione finitur: hoc est, totum in hac cognitione continetur, ut latius explicabimus infra disp. 6. cap. 2.

Augustinus.

Deinde, ut cognitio dicatur obiectum comprehendere, opus non est, esse aequalis perfectioni eius secundum intensionem cum ipso, quia sicut non respondet perfectio secundum esse, perfectioni secundum esse, ut adaequatur: & vnum aliud comprehendat, sed quantitas, & latitudo latitudinis: sic etiam nec intensio intensionis, ergo attenditur comprehensio intellectualis secundum latitudinem suae representationis, & eius, quod representatur, & ita optime constat definitio tradita a Patribus. Idcirco omnino a cidentarium, & extra rem est, ut aliquid comprehendatur, cognoscat omni modo, quo potest, & debet, si modus ille esse debeat ex parte ipsius cognitionis, siue secundum esse, siue secundum intensionem. Quare ut infinitum comprehendatur non est necessaria cognitio infinite perfecta secundum esse, vel secundum intensionem sed requiritur, ut res ipsa omni modo quo potest cognoscat, appareat, hoc est, ut in ipsa quicquid est, & sicuti est, videatur, hic autem modus est ex parte rei cognita, non ex parte cognitionis: atque hoc pacto beatus videt substantiam Dei omni modo, quo videri potest: hoc est totum, quod est in ipso, & prout in ipso est. Quae sane doctrina, & explicatio comprehensionis eo magis mihi probatur, quo plus accedit ad definitionem traditam ab Augustino, imo est eadem omnino cum illa: nimirum, ut comprehensio sit cognitio rei ita perfecta, ut omni modo res tota, sicuti est, videatur. Haec tamen a priori explicata manet difficultas praedictae sententiae. Ceterum ex concessis

aliquos huius sententiae auctores possemus redarguere; multum enim cum S. Thom. in artic. 8. huius questionis refugium concedere, posse beato communicari talem visionem essentiae diuinae, ut in ea omnes creaturae, quae sunt infinite, videantur: quia scilicet sequeretur, essentiam diuinam ab aliquo creato intellectu comprehendi, quod est absurdum: quin in causa aliqua videtur omnes eius effectus, ipsam comprehendit: hoc autem absurdum non videtur sequi in eorum opinione, etiam si concedant posse videri a beatis in essentia diuina omnes creaturas. Nam licet ex hoc inferatur visionem illam fore infinitam secundum intensionem, si verum est quo plura videntur, eo intensiorem esse visionem tamen non colligitur, futuram esse comprehensionem, si ad rationem comprehensionis requiritur ut tanta sit perfectionis cognitio secundum esse, quanta est obiectum ipsum: sic enim, sicut obiectum, nempe Deus, est infinitus secundum esse cognitio eodem modo infinita esse deberet, & non solum secundum intensionem.

CAPVT III.

Sententia Okami, & Nominalium circa idem.

Familia est nominalibus, cum alicuius rei difficultate premuntur, varias illius acceptiones excogitare, ut difficultatem liberius effugere possint: quare & varias definitiones rerum comminisci, eis liberum est: id quod in hac controuersia ipsis accidit. Ergo, ut difficultati propostae satisfaciant, asserunt, comprehensionem varie usurpati, primo modo dicitur aliquid visione comprehendit, quoties ita videtur, ut nihil illius lateat videntem: & hoc modo dicunt Deum a beatis comprehendit, quia nihil illius ipsos latet. Secundo modo comprehendere aliquid est videre illud, & inter partes eius discernere: & hoc pacto Deus non comprehenditur: quia partes non habet, inter quas, qui ipsum videt discernere possit. Tertio comprehendere, est videre rem optimo modo, quo videri potest: sic autem non solum Deus non comprehenditur a beatis, sed nulla etiam creatura ab alio, quam a Deo, qui solus se ipsum, & cetera nouit meliori modo, quo possunt cognosci. Quarto comprehendere, est cognoscere rem sub omnibus praedicatis, quae ipsi conuenire possunt: quo pacto solus Deus se ipsum comprehendit: quia solus nouit omnia praedicata, quae sibi tribui possunt, & conueniunt. Denique quinto modo comprehendere aliquid, contingit quoties cognitio eandem habet proportionem cum reliquis cognitionibus, quam habet res ipsa cognita cum alijs rebus. Quocirca cum nulla cognitio, qua beati vident Deum ita excedat alias visiones, & cognitiones, sicut Deus superat res omnes, sequitur, hoc pacto Deum a se ipso solum perfecte comprehendit: id quod in hac sententia non solum sequitur, si dicamus, quamlibet visionem beatificam non esse infinitam secundum intensionem, sed etiam si hoc modo sit infinita: quia sic etiam non habebit eandem proportionem cum alijs cognitionibus, quam Deus habet cum rebus omnibus, si aliquam habere dicendus est: in hoc quinto modo comprehensionis conueniunt hi Doctores cum auctoribus praecedentis sententiae.

Mihi vero videntur haec variae significationes, & acce-

9
Vixit omnibus
creaturis: is non
comprehenditur
Deus
iuxta hanc
opinionem.

Varia genera
comprehensionis
si nunc ex
Nominalibus.

10
Primum.
Secundum.

Tertium.

Quartum.

Quintum.

11